

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 79. (Neovidensis 1807. Nro. 78.)

*Familiare Literarum Commercium vivos inter
ac mortuos.*

Elysium-Meum.-Die Veneris 9. October. (Neovid. 25 Sept. 1807.)

Praesentis Anni Autumnus Praedecessori suo
Aestati Salutem.

Optime intelligo sensum Proverbii illius:
de mortuis nil nisi bene. Sed dilecte Frater
Aestas! non possum silentio praeterire, ut ne
hoc Proverbium in te transferam. Tuus agen-
di modus tam fuit fervidus, ut propter dam-
na a te illata, me ut Successorem tuum fa-
cile opus responsionis manere posset; æquum
igitur esse video, ut ego innocentiam toti
ferventi, sitiendi, ac per te adusto mundo
proponam.

Ego sum tertio genitus Anni 1807. Filius.
Noster maximus natu Frater ver se nimis be-
nignum, & valde favorabilem mundo exhi-
buit. Ille omnia vegetabilia in tam præclaro
statu reliquit, ut & Agricolaë, & Vinicolaë
eum laudibus suis ad astra extollerent.

Ille ad felicitatem humani generis haud pa-
rum contulit, sub ipsius enim regimine pax
confecta fuit, Anglis occasio porrecta, ut pa-
cem hanc amplecterentur. Genus humanum
exultabat solatio, hilaritate, tranquillo ani-

mo, sed proh dolor! expiravit, atque in abyssum æternitatis migrevit, sperans fore, ut per te generis humani felicitas promoveatur.

Tu circumfusus radiis Solis advenisti, & adventum tuum sequebatur Aestus. Tu Promethei instar Solis currum conscendisse, atque hominibus calorem adlaturus, facem accendisse diceris. Et profecto simile quid accidere debuit, tuus enim æstus tam fervens, tam durabilis fuit, ut provectissimæ ætatis homines similis æstus nequaquam meminerint. Multi homines imprimis in Germania præ nimio æstu amentes, ac mente capti sunt. Si modica pluvia decidit, hæc in grandinem versa, plurima damna intulit. Non sine magno animi dolore sensit id, magnus ille in Bohemia Agriculturæ Promotor Baro Vimmer, qui amare queritur, Vineis suis grandine tantam illatam esse Stragem, ut minimum 700 Urnarum Vini jacturam pati debeat. Magnus hic in Bohemia, & usu doctus Oeconomus, e vitibus magnis sumtibus ex Burgundia adlatis, suisque Vineis implantatis, laborum, expensarumque suarum fructum se percepturum, sperabat, verum hic annus eum omni fructu spolavit.

Aestus tuus tam vehemens fuit, ut nonnullis diebus ad Rhenum Thermometrum ad 30 gradum ascenderit. Hic æstus continua serie nulla interposita pluvia perduravit. Homines perpetuo sudore, non secus ac in balneo madebant. Qui tamen omnia hæc incommoda heroica constantia perpessi sunt,

quia vinum per æstum hunc vehementem excoctum jam gustare visi sunt. Cum gaudio ubique proferebatur : hoc erit vinum ! — Quod vinam Anni octogesimi tertii longe superabit, quod copia, & bonitate omnium præteritorum Annorum vina pudore suffundet. Jam vasa coemebantur, cellæ vinariæ evacuabantur, ac purgabantur, ad excipiendum hunc thesaurum; alii omnibus sumptibus parcentes, pecunias corradebant, alii capitalia elocata repetebant, vinorum comparandorum causa.

Usque medium Septembris laudes tuæ dilecte Frater ! ubique locorum decantabantur. Sed quam subito omnia mutata sunt ! — e terra per vehementem Aestum nimis exsiccata nullus succus per vites penetrare poterat in botros, hinc baccae manserunt exiguae, & duræ ita, ut iisdem passeris trajici potuerint. Hoc viso, nihil aliud, quam amaræ hominum querelæ audiebantur.

Ergo durante tota æstate frustra sudavimus, frustra pondus diei & æstus tulimus? dummodo bonum foret, facile omnia incommoda æstus oblivioni tradi possent, sed sudare, æstu coqui, ac assari, & tamen omni spe boni vini frustrari? pereat talis æstas ! audisne Frater ?

Sed & respectu rerum Politicarum nullam laudem exspectandam habes. Noster maximus natu Frater ver pacem optabilem nobis adtulit. Pax Tilsitiensis durabit tamdiu, quamdiu Deus volet. Capitulatio Hafniæ, quæ cum fine regiminis tui prodiit, est peccatum Politicum, quod Anglis nunquam ignosci poterit. Hanc Capitu-

lationem in voragimen æternæ oblivionis tibi transmitto. En habe :

Ex Holsatia 15. Septembris.

Sequentes Articuli Capitulationis Hafniæ Lingua Danica impressi circumferuntur, ac leguntur, qui confecti sunt, ex parte Daniæ inter Generalem Valtersdorf Equitem Ordinis Danebrogici, Suæ Majestatis Regiæ Camerarium, Colonellum Lütken, & I. H. Kirchhoffium, qui per Suam Excellentiam Beymann Equitem Ordinis Danebrogici, Supremum in Insula Seelandia exercitus Suæ Majestatis Regiæ Ducem ad id delecti sunt, ex parte Angliæ erant, Generalis Arthur Vallesley, Home Popham, Eques Melitensis, & Centurio Classis, Vice-Colonellus Georgius Murray Autoritate ad id instructi per James Gambier Supremum Classis Ducem, & Supremum navium Suæ Majestatis in mari orientali & Generalem Cathcart Equitem Ordinis Cardui, & Supremum Præfectum navium Suæ Majestatis Regiæ in Mari Septentrionali.

Artic. 1. Post conclusam, & subscriptam Capitulationem Copiæ Suæ Majestatis Britannicæ possessionem capient arcis.

2. Pariter copiæ Suæ Majestatis Regis Britannicæ occupabunt collem.

3. Navium omnis generis, rerumque ad naves pertinentium, curam habebunt, per Supremum Suæ Majestatis Regiæ Britannicæ Ducem ad id constituti.

4. Navibus in Servitio Suæ Majestatis Regiæ Britannicæ constitutis quoties id necessitas postulaverit licitum sit ad Portum navigare, pro seu copiis, seu rebus aliis devehendis.

Ut primum naves ablatae fuerint, aut intra spatium 6 hebdomadarum a confecta capitulatione, Copiae Suae Majestatis Regis Angliae arcem Copiis Suae Majestatis Regis Daniae in eo statu, quo tempore obsidionis fuerat, resignabunt. Intra idem spatium temporis Angli Insulam Seelandiae deserent.

6. A tempore signatae Capitulationis in Seelandia omnes inimicitiae cessent.

7. Nemini, quiscunque demum ille sit, injuria inferatur, omnia bona tam publica, quam privata, exceptis Regiis navibus, rebusque ad naves pertinentibus, intacta, inviolataque manent. Omnes Officiales Suae Majestatis Regis Daniae in Seelandia existentes, seu militares, seu Civiles in munere suo permanebunt, omniaque media adhibebunt, quae ad conciliandam unionem inter utramque Nationem spectant.

8. Omnes Captivi utrinque restituantur, officiales vero a dato promisso solvantur.

9. Omnia Anglica bona, durantibus inimicitiiis occupata, possessoribus suis compensabuntur.

Datum Hafniae 7. Sept. 1807.

Subscr. Ernestus Frider. Valtersdorf,
D. Lütken. I. H. Kirchhof.

Subscr. Arthus Wellesley, Hom Popham, Georgius Murray.

Parisii 20. Septemb. Sua Majestas Caesarea vi Decreti nuper emanati Filium defuncti Ministri Portalis, ut Ministrum rerum Sacrarum Patri surrogavit usque 1. Januar 1808. sub titulo maitres des requêtes.

Nudius tertius Status Consilarii Boulay, Begonen, & Gantheaume in Corpore Legislativo comparuere. Primus legit Senatus consultum de 19. Augusti, quo sublatio Tribunatus declaratur, cujus pars corpori Legislativo jungetur, reliqua vero ejusdem membra triplicem Commissionem efficient, utpote Commissionem Legislativam, Commissionem pro interiore administratione, & Commissionem reddituum Principis Curam gerentem. Ab eodem perlectum est Cæsareum Decretum de 15. Septembris, quo Sessioni corporis Legislativi finis imponi jubetur. Postea retulit ea, quæ in præsentè Sessione acta sunt, ad quem Sermone[m] Præses respondit. Factis denique ordinibus, ut uterque sermo imprimeretur, Sessio soluta est.

Status Consiliarius Boulay ut Orator retulit in Legislativo corpore de memorato Senatusconsulto cætera inter: rationes, & consilia nunc inita sponte sua flui ex Legibus 16 Thermidor Anno 10, & 28. Floreal Anno 12-latis; cujus scopus est, ut corpus Legislativum, tamquam præcipua pars Constitutionis in certum ordinem redigatur, eique plus dignitatis, & honoris tribuatur. Deinceps itaque corpus Legislativum non solum pro Sanctione, verum etiam pro statutione Legum conveniet, Hinc hos inter & Status Consiliarios sperari potest Aemulatio, quæ apud Populum Gallicum pro bonitate Legum vadem aget. Proponitur hic non sublatio, sed in unum coalitio munerum eorum, quæ in unum cor-

pus pertinebant, separata tamen erant. Major hac ratione felicitas Patriæ sperari potest.

Ex rationibus ultimis reddituum, Corpori Legislativo propositis, patet, Generales sumtus Anni 1807. 720 Mill. efficere; Anno 1807 perceptio tributi publici directi est 311840685 Francorum, perceptio vero indirecta ut Dominiorum, Sylvarum, Salis, Postæ, Tabacæ trans Alpes &c. 378. Mill. 159315 Franc. totalis perceptio 690 Mill. Universim pro Anno 1807 270 Mill. Pro Anno 1808 per sublationem tributi belli redditus publici minuuntur 18 Mill. 637253 Franc.

Vindemia in his partibus, prout etiam in Burgundicis initium cepit. Spes est optimi vini futuri.

Angliæ.

Londino 11. Septemb. In Portu magno sunt 100 & amplius naves Danicæ, quæ probabilius Anglis in prædam cedent.

D. Garlicke antea Legatione functus Hafniæ, missus est Memelburgum ad Borussia Regem. D. Alopeus Legatus Russicus his diebus sermonem contulit cum D. Canning. Quem multi nimis fervidum fuisse dicunt.

Multi hic pactum iniere in 100 Guineis, asseruntque, usque ad 10. Octobris a Russia Angliæ bellum illatum iri.

Nudius tertius Ministri consultandi causa in domo Status Secretarii convenerunt. Dux quoque Vindelis, Lord Mulgrave. & Lord Haykesburyconsultationi huic præsentés erant.

In qua decisum fuisse arbitrantur nonnulli bellum proseguendum esse. Omnes conatus Continentis Reges ad bellum provocandi, irriti redditi sunt. Cui enim incidere posset, hoc tempore se Angliæ unire?

Times de Portugallia diversas politicas observationes facit; concluditque, si Rex Portugallia in Contiente suarum ditionum jacturam passus fuerit, eum ab Anglis adjutum iri, eundemque cum omnibus navibus & thesauris Portugallia in Meridionalis Americæ Provinciam Brasiliæ transpositum iri. Qua Rex vero Brasiliæ auxilio Anglorum Possessiones Hispanicas occupet, atque hac ratione potentissimus Monarcha evadere potest.
